



Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex

Delrío, Martín Antonio

Mogvntiae, 1624

Qvæstio XL. An dictum Binsfeldij trium vel quatuor foëminarum pro vnius viri denunciacione exigij, debeat obseruari in terris imperij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

Conc. auctoritatis, vel imperij in aliam partem: vel vna iudicio & sermone praeualeat, adeo vt dubium esse possit ne contra veritatem vna trahat alteram in suam sententiam: nunquam confrontatio talis permittenda: si nihil istorum adesset, permittendam videri. *Chart. d. lib. 3. c. 1. n. 92.* In facto igitur hoc consistit, & circumstantijs consideratis decidendum. *Etiā in violenta*, hoc est, quam iniuris iudex imperat, *confrontatione*: casus in quibus consulitur legite apud Clarum, q. 45. num. 14. & ibi *Buard. in addit.* & in his ipsis casibus non admittenda, nisi praecedant considerationes exquisitissimae, & causae grauissimae, vt de haereticis crimine docet Penna, ad 3. part. *Directorij Inquis. comm. 23. num. 101.* *vbi de hoc prudenter egit.* Idem censeo de quodam genere confrontationis, quod aliquando iudices decernunt, quod vocatur, *confrontatio ad cortinam.* & minus habet periculi. *de quo Antonius Columba. In forma procedendi extraordinar. in controu. crim. ab arb. 220.* In confrontatione, *spontanea*, quando paratus est reus alios nondum captos societatis coarguere & conuincere: puto aliud dicendum, vt scripti, l. 5. sect. 10. *circas in.* nempe hanc nunquam admittendam nisi praecesserint indicia talia, vt propterea nominati citari possint: & iam citati, si non apte obiectiones rei nominantis, & constanter acculantis, soluerint, queant in carcerem compingi. fieret enim alioquin iniuria talibus denunciatis, hoc seqq. DD. *Friburgenses*, & bene addunt, si socius in praesentia & confrontatione suam nominationem retractet, tamquam testem varium & inconstantem denuo torqueri posse. *Farina. supr. à numero 116. vsque ad 150.*

A

QVÆSTIO XL.

An dictum Binsfeldij trium vel quatuor fæminarum pro vnius viri denunciatione exigi, debeat obseruari in terris imperij.

B

Respondeo negatiue, tum quia priuati Doctoris dictum est: tum quia contrarium vbique praxis videtur recepisse. lege tradita superius ad q. decimam tertiam.

QVÆSTIO XLI.

Quid sentiendum de praxi Germaniae. quae denunciations de choreis, & sagarum conuentibus, hactenus pro veris & sufficientibus, & non illusorijs accepit.

C



Non Germaniae solius praxis est: sed Galliae quoque, Hispaniae, Italiae ac Belgij. & est optime fundata. Qui pro illusionibus habent, ipsi ab Alciato, Ponzinibioque cum paucis alijs delusi: & magna pars Vueriana farina, non pura fidei polline, sunt conspersi, lege qua de hac rescripti, l. 2. *Disquisit. Mag. quest. 16. & l. 5. sect. 16.* Vbi in vltima editione Moguntina anni 1603. fufissime & neruotissime hoc confirmauit, & spero me Lectori veritatis amanti satisfecisse.

D

Consideratis itaque cunctis, quae & in d. lib. 5. *Disquisitionum*, & in responsione hac quadragenaria scripti, statuo Principem optime de republ. meritum & iustitiae praclare consulatur, si in suo territorio praecise fa-

E

XXXXX

ceret